Theses,

quas

Affulgente Divina gratia

et

adsentiente Max. Ven. Consist. Eccles. Lundensi,

pro

Examine Pastorali

eruditorum censuræ modeste submittit

NICOLAUS M. GRÖNBERG,

Verb. Div. Min. et Past. design.

Die XXX Martii MDCCCXXXIII.

h. a. m. s.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

Th. I.

Vocabulum illud תּוֹרָה in Sacris Veteris Testamenti scriptis haud infrequens, pluribus locis, ubi in versione suecana redditum est: lag (lex), rectius verti: lära (doctrinam) contendimus.

Th. II.

De Messia, Jesu Nazareno, Scripta et Veteris Testamenti (ubi מָשִׁיחַ, יְהוָֹה, אֱלֹהִים, אֲדֹנָי, et pluribus aliis nominibus appellatur) et Novi Testamenti (ubi dicitur *Χριϛος, ὑιὸς του Θιου, ὑιὸς των ανθρωπων* etc.) ut de vero Deo, et hominum Servatore loquuntur.

Th. III.

Homini de vera felicitate sollicito, nihil, nisi vera in hominum Salvatorem fides, solatium perfectum et stabile afferre potest.

Th. IV.

Dictum illud *ὑμεῖς εθανατωθητε τω νομω δια του σωματος του χριϛου* Rom. VII: 4, non ita explicandum est, ut volunt nonnulli,

inter quos celeberrimus noster Oedmannus referendus esse videtur, qui tantum legem Judæorum cærimonialem spectari dicunt. *Νομος* enim hoc loco totam Dei complectitur legem, quatenus damnandi atque cogendi potestatem habet, et non, nisi ei, qui propriis suis operibus legi perfecte satisfecerit, justitiam tribuit; atque *σωμα του χριστου* innuit non tantum lucem, sed omnia, quæ Christus natura indutus humana pro nobis fecit et passus est.

Th. V.

Apostolum Paulum voce *Ανθρωπον*, quæ II Cor. XII: 2, legitur, se ipsum, non ut celeberrimus Oedmannus contendit, alium quendam hominem significasse, cur contendamus, ratio haud deest.

Th. VI.

Quo melius homo se ipsum noverit, eo dignius de Deo, eo mitius de aliis hominibus sentiat, necesse est.

Th. VII.

Dubitatio sæpe sapientiam parit, et negligentiæ anteponenda est.